

**Florus Biblicus Seu Narrationes, Ex Veteri Testamento
Selectæ**

Pexenfelder, Michael

[S.I.], 1711

L. Samsonis Decora.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64523](#)

lateret
crimas
epulas
ij sui,
s vulpi-
in om-
ur; non
sim, &
ibi per-
is; tan-
, apue-
ue con-
ne voti-
ictavit,
se gesta-
us inne-
cordem
s Satra-
Exinde
n alto.
genibus
. septem-
at, refe-
ibus mi-
n DEO
lis, & ac-
nutum.
la ad ve-
amat,
is in ce-
ates cum
fus

lunibus, & catenis Philistini Proceres, Samsonem, nec quicquam veteres pugnas spirantem, aggrediuntur; comprehensum arctissimè, tumultuosè vincunt: constrictumque, nec jam ulla sui parte repugnare validum, crudelibus cultris exoculant: ac pretiō perfidiæ muliebri persolutō, (quinque millia & quingenti erant argentei, seu sicli, quorum singuli sedecim festertijs aestimantur) captivum in triumpho, *Gazam* urbem perducunt. Ibi retrusus in carcerem, & duabus revinctus catenis, trufatilem versare molam cogitur, adjunctō puerō, qui mancipium ad assiduum laborem Sannis, dictijs, amaris exprobrationibus; flagris etiam, & verberibus adigebat, victum ac fontanam arcte, temeriterque præbens. Samson Numinis vindictam agnoscens, & admissorum pœnitens, cùm oculis jam non posset, animo lacrimabatur: quare Divina liberalitate, in gratiam recepto, cum coma sensim crescente, rediit & *gratuitum* roboris antiqui domum, cuius periculum faciendi non ita multò post, præclara se obtulit opportunitas. Audiet tamen omnis retro posteritas, eum, qui leones nuper straverat, à lupa tandem fuisse prostratum.

NARRATIO L. SAMSONIS GLO- RIOSUS OCCASUS.

Anno Mundi 2899. Ante Christum 1154.

O 3

Cum

Cum Samson aliquam multum jam temporis in ferro, vinculisque, solis ac lucis expers ageret, & calamitatis illius ac molæ fama latè sparsa esset; Philistinos optimates cum Populo, cupido incessit, fructum aliquem, ac voluptatem ex hostium suorum Ductore cæco, molentę que capiendi. Incidit igitur, ipso temporis pro cursu Solemnior Sacrorum dies, à Gazæis victimarum, ludorumque ceremonijs anniversarijs, magnificentius exigendus. Is autem dies, & ea celebritas *Dagonis* honori, Philistæorum Idolo, debebatur; in cuius Fani, amplitudine, structura, capacitate cultorum magnificentissimi, solō tectō, more Syrorum planō, (unde liber in interiora templi de spectus) tria circiter mortalium millia, stationes ad loca ad spectaculum habebant. Tanta hominum multitudine gravata moles ædificij superior, ne deduceretur in præceps, duæ faciebant potissimum è marmore columnæ, quæ mediò basilicæ spatiō non ita magno distantes, firmitate sua Fani totius pondus sustinebant: At inferiùs per templi subsellia, quinque Philistinorum Satrapæ cum suis familijs & comitatu; per reliquum autem loci spatum, Sacrificuli, Popæ, Sacrorum Ministri, cives, advenæ considebant. Omnes hi victimis intenti, *Dagonis* que superstitione cultui: confusis in unum vocibus, atque carminibus *Dagonem*, Ter optimum Maximumque Numen suum laudibus efferebant; & inter ea maestabant, adolebant, libabant; ac cyathis operam, lancibüsque dabant.

Jamque finem mensis saturitas ac violentia fecerant; cum primō Princeps, mox temulentissimus quis-

quisque Samsonem postulant accersiri, qui ludat, deliciásque saltatione faciat. Adducitur exsolutis tantisper catenâ manibus ac pedibus; & medio dun-taxat corpore, lumborum tenus, revinctus; pueri duci, qui cæcum nunc agens ante se, mulionis mo-re: nunc post se trahens à crasso fune: spatia deambulationis alias laxabat in libertatem; alias arcta-bat in servitutis recordationem. Ad Summam! tanquam passerem è funiculo lascivientes adolescen-tuli; Sic mediastinus iste tractabat hominem, He-toëm illum, jam muscâ contemptorem.

Ut primùm igitur in conspectum theatri, tem-plumque venit Samson: multitudo, quæ Fanum re-pleverat, ex omnibus undique loci partibus strepe-re pedibus, complodere manus; ore sibilos & cla-mores in altum tollere; denique signis omnibus ef-fusæ gratulationis habitum, ac lætitiae declarare magnitudinem, quam ex hostis sui præsentibus æ-tuminis haurirent. Simul imperiô Magistratûs, ac præconis voce, silentiô factô; consistere Samson inter duas illas columnas jubetur: & Senatui, Populó-que Gazensium, omnique nomini Philisthino ludos atque delicias facere. Quæ cùm invictissimâ pa-tientiâ Samson devoraret; ac poenam etiam istam erroribus suis irrogari meritò, persuasum haberet: iniecit ei mentem DEUS, quibus modis tandem, & se malis suis expediret, & gentem nequam debitissimis cladibus implicaret. Animum adverterat, cùm inter saltandum, contumelijs, labore manuum, motu pedum, ac totius corporis agitatione fatigatus, in pilas marmoreas aliquoties, ingenti cum cachinno spectantium, impingeret, pilaseas inte-

se , pedes admodum paucos distare , quas proinde
 contracturum se brachijs simul ambobus non despe-
 raret . Incitatus igitur non tam sui , quam honoris
 divini , suæque gentis in libertatem vindicandæ cu-
 pidine gloriosa ; sentiensque pristinam fortitudinem
 cum renatis sibi capillis renatam esse , utriusque co-
 lumnarum manus fessas , & caput applicat , permit-
 tente puer , nec invitis spectatoribus . In auxili-
 um inde DEO vocatô , dum creditur ad ludicrum
 captum redditurus , manuum ambarum , & hume-
 rorum , ac totius corporis omni conatu , columnas
 aggressus , succussione ter quatérque repetita , ter-
 ribiles inter fragores , columnas , tabulata , tectum ,
 Solarium , omnemque templi molem , in vestigio
 temporis trahit in ruinam . Simil & quidquid Ga-
 ñorum Spectatorum aderat , Populus , Proceres ,
 viri , fæminæque cum clamoribus horrendis , con-
 fusæ , pereuntisque multitudinis , unum omnes in
 cumulum sternuntur , oppresisque jacent . Cùm
 his & Samson , bené secum felicitérque ratus ac-
 tum : quod , quantó nullus veterum Heroum , se-
 pulchrò tectus esset , tantò constratus ipse requie-
 ceret : quippe totius Palæstinæ ruinâ contumulatus .
 Sunt , qui præter illa tria millia , de supra tem-
 pli parte devoluta , asserunt vigesies mille homines
 per inferiora subsellia & stationes fani dispositos , ea
 strage occubuisse . Potuerunt tum Judæi , si viri
 fuissent , & jugum servitutis Philistinæ à se excu-
 tere , & armata manu hostium metu consternato-
 rum provinciam occupare . Cæterum cùm Samson
 ab Apostolo ad Heb . 11 . inter Cœlites memoretur ,
 minimè dubitandum est , heroëm eo facinore , ipsi
 à DEO

DEO, inspirato, mortis pro salute publica, Numinisque honore fortiter contemptæ, virtutis ardua strenue probatae, vindictæ de hostibus justissime sumptæ, gloriosam æternamque memoriam promeritum, suô, ut Ambrosius loquitur, triumpho tectum, tumulatumque fuisse. Occidit ætatis anno trigesimo nono, Præturæ vicesimo. Corpus à cognatis, cum bona Gazæorum, graviora meuentium, veniâ, avito sepulchro illatum est.

NARRATIO LI.

CLADES HELIS, PONTIFICIS ET PRÆTORIS HEBRAEI, EIUSQUE FILIORUM, JUDÆORUM, PHILISTÆORUM.

Lib. I. Reg. cap. 2. 4. 5. Anno Mundi 2907.

2939. Ante Chr. 1146. 1114.

Licentior filiorum educatio, & disciplinæ negligens parentes facit authores non vitæ sed mortis. In Hebræorum Judiciaria Præfatura Samsoni successit *Helis*, Pontifex supremus, primus ex Ithamaris, qui frater erat Aaronis, familia. Fuerunt ei filij duo *Ophnis* & *Phineas*, paterni Pontificatus, (quia deflexis in senium annis, ipse minus ad omnia Sacerdotij supremi munia vigebat) officiique Sacerdotalis adjutores; homines improbi, & Sacrorum ignorantes; qui & multitudinem, *Silunte* seu *Silo* (urbe, in altissimo monte sita, haud amplius octo

O s

paf-